M. F. QVINTILIANI DECLAMATIONES A LEXANDER dedicans.

CCCXXIII.

DEos immortales, omnes quidem, præcipuè tamen numen & mihi maximè familiare, & ſicut proximè experti ſumus, præſentiſſimum (Iudices) inuoco ante omnia: vt (ſi) reſpectu ſacrorum, ſi pietate, ſi religione ſola ductus, feci quod obiicitur mihi, velint impunitum eſſe ſacerdotis officium. Nunc (quod me aliquanto ſollicitum habet) ne aſperè, ne iratè hanc iudicij faciem intueri velint, in qua capitis periculo luitur, quòd templum dedicatum eſt. Oro igitur atque obteſtor, ſi fieri poteſt, ne damnari me velint: ſi minus, ne vindicari: tuanturque ciuitatem hanc, in qua modò habere cœpimus pacem. Immo verò hanc veſtris animis voluntatem, hoc propoſitum mentis inſpirent, ne eo tempore Deos lædere velitis, quo illis iam Alexander ſatisfecit: qui etiam ſi bellum contra nos traditum ac relictum à patre, vſque ſuſcepit: etiam ſi non tam propria quàm hære-

A

ditaria nobiſcum ſtetit contentione, omnia tamen alia impune faciebat, dum res intra cædem hominum ſtetit, dum intra vaſtationes agrorum (quanquam totius [ſacri] ſoli ac venerabilis) ſecundæ res: Ac ne illa numina quidem, quæ ſemper excubare videntur pro noſtra ciuitate, ſatis ad tuendam vrbem profuerunt. Vt verò ignem ſacris poſtibus, vt ferrum vetuſtiſſimæ religioni admouere auſus eſt, intellexit ſibi non eſſe bellum nobiſcum. Libenter audio quæ ex diuerſa parte dicuntur, Ægrum exercitum, præcipiti morte conſumptas copias. Quis enim non videt omnia iſta facta eſſe, vt rurſus templum eſſet? ita illius quoque concitati (vt auditis) ac temerarij iuuenis motus eſt animus. Vidit non aliunde petendum eſſe, quàm à Dijs immortalibus, præſidium. Oraculum popoſcit. quæ hic culpa noſtra eſt? Accepit: videlicet [[illegible],] DII IMMORTALES vt peccantibus graues, ita ſatisfacientibus faciles. Si noluiſſent remedium illi peſtilentiæ concedere, non indicare potuerunt. Reſtitui iuſſere templa. Gratias publicè, priuatimque agamus dedicare ipſi non permiſerunt. Diuiſum partitúmque reſponſo eſt, quid Alexander

facere deberet, quid nos? Ille, quod debuit, fecit: (fecit) templum ſpecioſius quàm fuerat: & cultius extruxit animo regis periclitatis. partes ſupererat meæ. Excuſo me vobis Dij immortales, quod non ſtatim ad conditionem dedicationis acceſsi. Hoc enim ex reſponſo vel Alexandro ſatis erat quòd permittebant. Ego nihilominus magna mercede ſuſcepi hoc officium. pacem popoſci: impetraui. veluti ore ipſius Dei iuſſus promiſit, præſtitit. Hæc eſt criminum meorum (Iudices) ſumma: & templum habemus & pacem. Hoſti opem tuliſſe dicor. Nondum cauſas facti mei reddo, nondũ rationes legis ipſius excutio. Interim quid vos (eſſe) putatis opem ferre? neque enim id ſolum quæritur hac lege, an aliquis hoſti profuerit. Multa enim quæ vtilia ſunt hoſti, & inuiti & imprudentes facimus. Ideo hoc non complexa lex eſt: ſed aduerſus eum ſe ſtrinxit, qui opem tuliſſet, qui armis, qui commeatu. Non ſine cauſa hæc ipſius verbi proprietas continet legem: Quæri noluit an is opem tuliſſet, (qui) quodam modo~~modo~~ profuit. animum reprehendit, & ferentem (opem) coarguit. Cauſam autem huiuſce iuris quis ignoret? Animus (vt opinor) eius punitur qui

hoſti prodeſſe voluit. aduerſus proditorem, aduerſus hoſtem reipublicæ cõſcripta lex eſt. Quæ ſi talia ſunt, quid ſimile his commiſi? Templum dedicaui. Viderimus an hoc hoſti profuerit. ad cauſam meam pertinet ſciri quid ego fecerim, non quid ex eo factum ſit. At enim hoſti profuit. Si ideò feci vt hoſti profuiſſet: ſanè ſum legi iſti obligatus. Si cum aliquid facerem pro vniuerſa republica, vtile etiam hoſti fuit: non (vt opinor) damnis contendendnm fuit. Videamus ergo an hoc pro republica fuerit. Nondum dico quæ ſecutura fuerunt, ſi non dedicaſſem. Interim cum pietate veſtra, Athenienſes, loquor, Templum non illud vetus, non illud præſentiſſimæ religionis, non illud eſt à quo totius ciuitatis veſtræ petitur auctoritas? Sed nouum aliquid inexpertum video: in finibus noſtris eſt dedicandum. Hæc enim priuſquã dedicationis ſummam accipiat religionem: operoſum tantum dedicatio illa, quæ Deum inducit, quæ ſede deſtinata locat, hoc ideo facere non cuiquam permittatur, niſi caſtæ manus, niſi familiaris ſacris animus acceſſerit. Dedicatio ſolis (vt nunc comperimus, conceſſa eſt Athenienſibus. Hoc

ego fieri reor, Iudices, quod cum cæterarum ciuitatum templa, in ipſis poſita vrbibus, frequenter cum totis ruere atque incendi mœnibus viderimus, nulla vindicta, nulla religio, nulla eos qui fecerant ſupplicia conſecuta ſunt. Hic ſacrilegium peſtilentia vindicatum, Dedicationem deſtinabat: neque enim aliter reſtitutum templum eſſe exiſtimauerat, niſi dedicaretur. De quocunque templo loquor; hoc templũ non dedicabo? Quam multa adhuc remitto; taceo quid reſponſa præceperint. humanis conſilijs locum relinquo: non dedicabo? Procedere vltra volo. Si Alexander ab obſidione tamen Athenarum receſſiſet, nonne ædificaſſemus, nonne reſtituiſſemus? Equidem ego omnibus noſtris ſacris crediderim ineſſe numen. Debet hoc Athenienſium ciuitati, vetuſtiſſimo generi, debet ſolo de quo contendiſſe quondam Deos immortales nõ ſine cauſa creditum eſt. Cætera tamẽ opinione credimus, & coniectura colligimus: in hoc numine ſenſimus momenta bellorum, hoc pars vtraque cognouit, hoc numen ſcit eſſe Alexander. Adijce quod dedicari voluerunt. Si à quocunque voluiſſent dedicatum, fuit mihi, cùm Athenienſis ſim. To-

tum enim ego hunc populum [Iudices] puto ſacerdotem. At enim ſic effectum eſt, vt laborare peſtilentia exercitus Alexandri deſineret. Non dico deſiturum alioqui fuiſſe. periturus ſit Alexander, perituri ſint milites omnes, vultis vti hoc ſacrilegij publici beneficio? ſi quis nobis hanc poneret conditionem, Athenienſes, vt omnium potiamur gentium euerſis exuſtiſque templis: non profectò acciperemus. Pluris nobis opinio, pluris diſciplina ciuitatis fuiſſet. Mortur miles Alexandri. Sed templum ſine numine, ſine religione: ſed templum adhuc eſt inter præſidia hoſtium. ſed non ire mihi, non colere, non agnoſcere, non agere gratias licet. Vos porrò cur perire exercitum Alexandri, cur perſeuerare iſtam peſtilentiam vultis? nempe bellum haberetis: habetis pacem. Beneficium dediſtis. ex illo quem grauiſſimum hoſtem timebamus, habemus potiſſimum amicum. Sint ſanè pertinacia odia. Alexander reſponſo ſatisfecerat, quod ad ipſum pertinuit, templum reſtituerat: quod ad ſecundam quoque partem reſponſi pertinebat, fecerat poteſtatem dedicandi. mercedem quantam maximè dari poterat rei publicæ, dedit. Tam iniuſtos vos

creditis Deos immortales, vt non fuerint cogitaturi cuius culpa templum vacaret nam [vt dixi] ſi peſtilentiam finiri Dij immortales noluiſſent: aut nullum reſponſum, aut aliud certè dediſſent. DEMONSTRATA *ſatisfactio & in hoc valet, vt accipienda ſit. Vereor [iudices] ne quid fingere ex neceſsitate periculi uidear. veruntamen me religionis meæ diſſimulare qua acciderunt non ſinit ratio: Alexandrū apud me valuiſſe ſolùm putatis, aut vllam mercedem? Ego illum receſſurum putabam, etiam ſi non paciſceretur. Deus, Deus ille [teſtor ipſum & præſentiſsimi conſcientiam numinis] ille adegit, ille iuſsit, ille in has partes miſit. ſecundum hoc quodammodo fuit reſponſum.*

PARISIIS,
Apud IOANNEM LIBERT, via Diui Ioannis Lateranenſis, prope Collegium Cameracenſe.
M. DC. XIII.